



The Holy See

BENEDICTUS PP. XVI
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

LITTERAE DECRETALES

*QUIBUS BEATAE GERTRUDI COMENSOLI
SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR*

«Omnia possum in eo, qui me confortat » (*Philp* 4, 13).

Hoc est verbum quod in beatae Gertrudis Comensoli corde reperitur et quo ipsius imbuitur vita. Necessitudinem cum Iesu experitur tamquam mysticam coniunctionem, amantem cognitionem, quae efficit ut Iesum veluti suum Dominum ea percipiat, videlicet Eum qui eiusdem infirmitates sustinere potest aequa ac eius studium divinae voluntati adhaerendi, Ipsius personae se conformandi. Hac de re scripsit: « Mi Iesu, similem tui me redde ... verum exemplar mei amoris Crucifixi. "Omnia possum in eo, qui me confortat" (*Philp* 4, 13) » (Opera: *Note intime*). Cum se imparem Deo vocanti, communioni plus plusque requirendae, animadverteret atque cum vereretur ne novae institutionis difficultatibus subvenire posset, quam iudicat a Deo flagitiam, haec in altam pacem plenamque satisfactionem reciderunt, cum Ei se committeret qui eius passus dirigeret eiusque proposita adimpleret.

Beata Gertrudis Comensoli in pago Brieno Brixiae die XVIII mensis Ianuarii anno MDCCXLVII nata est. Ex familia admodum christiana atque paroeciali communitate rectitudinis solidarietatisque, parcae vitae amoris, quietarum necessitudinum laetitiae necnon Providentiae confidentiae sensum excipit. Vivax ac sensibilis Iesu in sacra Eucharistia praesenti animadvertisit delectamentum. Incoercito concitata desiderio, septem annos nata furtim primum sacram communionem accepit. Prima est illius itineris pars, quae eam inducit ad Deo se totam consecrandam atque ad personale propositum perficiendum: id est institutum condendum, eucharisticae adorationi destinatum. Nonnullos post annos hac de re cum excellentissimo

Speranza, Episcopo Bergomensi, loquetur; postea ei copia data est cum Decessore Nostro Leone XIII hoc de desiderio colloquendi, qui eam confirmat eamque in institutionem quandam dirigit, quae etiam difficultem mulierum condicionem in se recipiat, id est « cum sancta adorationis cogitatione pauperum puellarum, praesertim operiarum, curam » coniungat. A presbytero Francisco Spinelli fulta, a novo Bergomensi Episcopo, excellentissimo Guindani, electo, die XV mensis Decembris anno MDCCCLXXXII novam religiosam Sororum Sacramentinarum familiam condidit, cuius ipsa mox sua manu constitutiones sribet. Inde ab initio Institutum valde increbruit. Sed non defuerunt difficultates, quas habuit et heroicē superavit fundatrix, quae Dei praesentis et suarum filiarum fidelitatem solacium est experta, quae cum ea paupertatem incommoditatesque participabant. Gertrudis Comensoli scripta et eius vitae testimonia naturam ostendunt spiritualitatis saeculi XIX, scilicet asceticum studium, necessitatem adorandi et offensiones reparandi, quas Iesus in Tabernaculo a peccatoribus recipit, magnum desiderium propriam vitam penitus donandi propter eius amorem. « Te amare et efficere ut ameris », illud flagranter sacra Eucharistia concitata voluit Gertrudis. Eiusdem spiritale iter clara contemplationis nota signatur, qua fundationis spiritus augescit. In suae vitae narratione scribit: « tot tantaeque fuerunt Domini gratiae, ut describi non possent ». Rursus: « Eius adorabilem praesentiam percipiebam et interdum mentis actio intermittebatur atque ego esse in Eo me sentiebam, quod nihil habebat materiae neque imaginis: id numquam explicare potui, quoddam semper mihi fuit mysterium ». Instituti propositum fuit « Iesum in Eucharistiae Sacramento constanti precatione adorare, offensiones reparando et pro toto mundo intercedendo itemque caritatis opera gerendo ». Gertrudis Comensoli exemplar incitat et Institutum ad illam vitae unitatem dirigit, quam quisque Christi discipulus efficere debet, ut suus apostolatus sit fecundus. Contemplatio et actio, quae ad primigenium consilium spectant, integrae manserunt. Beata Gertrudis Bergomi die XVIII mensis Februarii anno MCMIII de hoc mundo demigravit, cum opus suum compleret, ut adoratio publica perpetua per spiritales filias continuaretur. Sanctitatis fama post obitum increbrescente, Episcopus Bergomensis, Aloisius Maria Marelli, Processum Ordinarium die XVIII mensis Februarii anno MCMXXVIII incohavit, quem ad finem anno MCMXXXII adduxit. Die XXVI mensis Aprilis anno MCMLXI beatus Ioannes XXIII decrevit ut de virtutibus, heroum in modum exercitis, Decretum ederetur. His iure statutis peractis rebus, die XIII mensis Maii anno MCMLXXXIX Venerabilis Dei Servus Ioannes Paulus II facultatem fecit ut Congregatio de Causis Sanctorum Decretum super miraculo evulgaret, qui pariter beatificationis ritum die I mensis Octobris anno MCMLXXXIX persolvit. Pro canonizatione pueri Velasci Ricchini sanatio a Medicis Consultoribus Congregationis de Causis Sanctorum ad scientiae rationem incomprehensibilis die XIV mensis Octobris anno MMIV habita est et hic eventus beatae Gertrudis Comensoli intercessioni in Congressu peculiari Theologorum diei XI mensis Ianuarii anno MMV est adscriptus. Sic Patres Cardinales et Episcopi die XIX mensis Februarii eiusdem anni congregati iudicarunt. Ita Nos Ipsi facultatem fecimus ut Congregatio de Causis Sanctorum die XV mensis Martii anno MMVIII Decretum de miraculo foras emitteret. In Consistorio die XXI mensis Februarii anno MMIX Nos Ipsi decrevimus ut beatam Gertrudem Comensoli in Sanctorum catalogum referremus, ritum die XXVI mensis Aprilis anno MMIX persolventes.

Hodie igitur in foro Petriano inter sollemnia hanc pronuntiavimus formulam: Ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Archangelum Tadini, Bernardum Tolomei, Nonium a Sancta Maria Álvares Pereira, Gertrudem Comensoli et Catharinam Volpicelli Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Insignis haec mulier, eucharistico fervore inflammata, dum vitam impendit servitium praestans mulieribus in difficultate versantibus, miras nobis tribuit testificationes sanctitatis, quocirca eius patrocinium invocemus ut nos quoque, caelesti pane suffulti, caritatem erga proximum ubique ac iugiter exerceamus.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, die sexto et vicesimo mensis Aprilis, anno Domini bis millesimo nono, Pontificatus Nostri quinto.

EGO BENEDICTUS

Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. CII (2010), n. 12, pp. 7-11